CHRIS[...] Autor,
[...] rum,
Dum [...] eius esto
[...] liber!

1.

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag-- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod jis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XI.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE BONIS OPERIBUS.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO Eisenbletter/ Regiom: Bor:

Publicè in Auditorio majori, Ianuar: habenda.

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

VIRIS

Generosâ Nobilitate Strenuis

Dn. JOHANNI ALBERTO

à PERBANDT, Ser. Elect. Brand. Capitaneo in Oletzky: Hæred. in Cremitten/Podwitten/Rapkemt/etc.

Dn. ERHARDO Rödern/ Oeconomiæ Electoral: præfecto; Hæred. in Pernehnen Hospiti ac nutricio meo observando.

Dn. GEORGIO GABRIELI Marquart Judicii terrestris in districtu Angerburg: Præsidi; in Blandowen & Zizincken hæred.

Dn. CASPARO ab Hohndorff/ in Sardienen hæreditario.

Dn. JOHANNI ALBERTO von der Trenck/ hær. in Scharlaucken.

Magnis meis Mecœnatibus.

Reverendis item Doctißimisq;

Dn. MICHAELI BERNHARD, in Cremitten

Dn. GEORGIO PLONSCIO in Haberstr

Pastoribus vigilantissimis.

Fautoribus & amicis meis æternum honorandis

Exercitium hocce Theolog. sacrum volo

Christoph. Eisenbletter Res.

Disputatio XI.

DE BONIS OPERIBUS.

Resp. Christophoro Eisenbletter Reg:

REpurgato ab erroribus augusto de *Justificatione* hominis peccatoris coram DEO, articulo; vindicatum à variis insultibus tùm Hæreticorum; tùm Schismaticorum, insuper voluêre auctores libelli nostri, locum de *Bonis operibus*. Immediato quippe nexu cohærent articuli Justificationis, & Sanctificationis: *ille* tamen ordine naturæ præcedit; *hic* sequitur: *ille* se habet instar hujus Fundamenti; in *illo* consideratur Fides ceu arbor fertilis; in *hoc* ut jam bonis fructibus stipata.

Quâ verò occasione, quibusq; de causis repetitum; nec non vindicatum præsentem locum voluerint auctores commemorati; inferiùs indicabitur: nostri instituti erit telam materiæ intra cancellos determinatos pertexere.

I. SEDES HUJUS LOCI.

1. Desumptus ac repetitus est hic *articulus*,

primò ex A. C. præsertim ex *articulo* VI. qui sic habet: *Item docent* (Ecclesię magno consensu) *quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à* DEO *facere, propter voluntatem* DEI, *non ut confidamus, per ea opera justificationem coram* DEO *mereri. Nam remißio peccatorum, & justificatio fide apprehenditur, sicut testatur etiam vox Christi*: Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus. *Idem docent & veteres Scriptores Ecclesiastici*: Ambrosius enim inquit: *Hoc constitutum est â* DEo, *ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, solâ fide, gratis accipiens remißionem peccatorum.*

2. Quę sententia fusiùs deducitur artic: XX. ubi quia verba nimium sunt prolixa; nolumus nec etiam commodè possumus omnia serietenùs in medium producere: lector veritatis studiosus haud gravatim locum illum adeat, & expendat.

Eadem verò solidè defenditur contra *Pontificios in Apologiâ art.* 6. & 20. protritis partis adversæ objectionibus.

3. Deinde ex articulis *Smalcaldicis part.* 3. *artic.* 13 §. *Hanc fidem renovationem, & remißionem peccatorum sequuntur bona opera. Et quod in illis pollutum, & imperfectum est, pro peccato, & defectu non censetur; idque etiam propter Christum: atque ita totus homo, cùm quoad personam suam, tùm quoad opera sua justus & sanctus est, & nominatur ex purâ gratia, & misericordiâ, in Christo*

sto

sto super nos effusâ, expansâ, & amplificatâ. Quare gloriari ob merita, & opera non possumus, cum absque gratiâ & misericordiâ adspiciuntur; sed ut scriptum est, 1. Cor: 1. Qui gloriatur in Domino glorietur, quod scilicet habeat DEum propitium. Sic n. omnia benè se habent.

Dicimus *præterea*, ubi non sequuntur bona opera, ibi fidem esse *falsam*, & non *veram*.

II. Summa huius Loci, prout in libello nostro repetitur, & pertractatur.

§. I. Pertractatur autem hicce articulus ab auctoribus nostris, partìm θετικῶς; partìm ἀντιθετικῶς.

2. *Thesis Orthodoxa* solummodò recensetur ex A. C. & *Apologiâ*, in quinque quæstiones distributa. 1. *Quomodo doctrina de bonis operibus sit tradenda?* 2. *Quæ sint bona opera?* 3. *Quomodo fieri poßint?* 4. *Propter quas causas sint facienda?* 5. *Quomodo* DEO *placeant & accepta sint?* ita tamen, ut nullo modo merita sint Gratiæ DEI, & remissionis peccatorum.

3. *Antithesis* tergemina proponitur 1. *Illorum*, qui ἐν ἐλλήψει deficientes, necessitatem bonorum operum impugnabant, sub hac triplici consideratione. 1. *Bona opera esse necessaria.* 2. *Bona opera necessariò debere sequi fidem*; 3: *nos necessariò debere bona opera divinitùs man-*

dam facere. Harum propoſitionum porrò veritatem evincunt auctores noſtri, *Primò* ex ſcripturâ ſacrâ Joh:15.v.17. 1.Joh:4.21. Rom:8.12. c.13.8. Luc: 17.10. 1.Cor:9. 16. Act:5.29.c. 14.22. *Deinde* à fine operis, redemtionis generis humani, ut ſit populus DEO peculiaris, ſectator bonorum operum Tit:2. 14. 1 Theſs.4. 4. Luc:1.75. *Tertio* ex A.C. ejusdem *Apologia*; & *Quarto* denique ab auctoritate B. Lutheri noſtri; eiusq; libro de *Votis Monaſticis*; *diſputatione de bonis operibus, &c.*

4. *Inſuper* addunt *limitationem*, qualisnam neceſſitas heic intelligi debeat: videlicet non *coactionis*, aut *extorſionis*, vel *hypocriſeos*; ſed 1. *mandati* vel *debiti*. 2. *Teſtificandæ fidei* erga proximum, & 3. *gratitudinis* erga DEUM.

5. II. *Antitheſis illorum* producitur, & confutatur, qui ἐν ὑπεροχῇ exorbitantes, *neceßitatem* bonorum operum nimiùm extollebant; & quidem in *triplici* gradu ſeu claſſe. *Prima* claſſis contendebat 1. *Bona opera etiam ad ſalutem eſſe neceſſaria.* 2. *Impoßibile eſſe, ſine bonis operibus ſalvari.* *Secunda* ſtatuebat 1. *juſtificationem Peccatoris conſiſtere, non tantum in gratuitâ reconciliatione; verùm etiam in renovatione.* 2. *Applicationem promißionis gratiæ fieri, non tantùm fide cordis; verùm etiam confeßione oris; tanquam opere.* *Tertia* priores duas abſurditate ſuperans, aſſerebat: *Bona opera ad ipſam etiam juſtificationem omninò eſſe neceſſaria, tanquam adjunctum fidei.*

6. Sub-

6. Subjungitur porrò erroris hujus *occasio & origo*, nimirum astus *Pontificiorum*, qui nostris Ecclesiis insidiantes, in suo *cothurno Interreligionis*; ejusmodi, & similes formulas loquendi incautis obtrudebant; quas etiam nonnulli ex nostratibus arripiebant, & cum ingenti Ecclesiæ damno vehementèr propugnabant; adeò, ut ab ipsis Pontificiis hoc nomine laudarentur, & commendarentur, quod eo ipso à nostris Ecclesiis deficere, & ad partes Pontificias transire voluisse non obscurè viderentur.

7. *Insuper* adducitur *Schismaticorum* illorum mitigatio, qui ostendere conabantur, se à sententiâ Papistarum quam longissimè abesse: utpote qui contenderint: *Bona opera ad salutem esse necessaria: vel impoßibile esse, quenquam sine operibus salvari*; ratione habitâ non *justificandorum*, sed *justificatorum*; ita ut hos impossibile sit sine operibus salvari.

8. *Denique* sententiâ hac pro confesso acceptâ, auctores nostri statum controversię genuinum contra Schismaticos illos figunt: totique in Negativam descendunt, propositionem utramq; refellendo: 1. *Quod bona opera sint necessaria ad salutem ipsis insuper justificatis.* 2. *Quod sint necessaria ad retinendam seu conservandam fidem, justificationem, ipsam deniq; salutem.*

9. *Negativam prioris* confirmant ab identitate caussarum justificationis, & salutis æ-

ternæ 1. ex Rom:4.7. Eph.2.8. 2.Tim.1.9. Tit. 3.5. Deinde ex A.C. ubi sententia *Ambrosii* allegatur; *nos sine opere, solâ fide in Christum, gratis accipere remißionem.* Denique ex B. Lutheri *disputat: contra Anabaptistas* Anno 1536. ex *comment. super Gen.c.22.* *Posterioris* negativam evincunt à *principio, medio* & *fine* salutis nostræ; denominando Gratiam DEI per fidem Rom:5.2. 1. Pet. 1. v.5. & 9. Coloss.1.23.

10. *Tandem* occurritur calumniæ eorum, qui nostratibus affingere non erubescebant, ac si docuissent; *fidem, justificationem, & salutem æternam, cum studio vel proposito peccandi simul stare posse.* Id quod refutatur ceu *Epicureum*, & *Diabolicum* commentum ex *Apologiâ*; *Smalcaldicis articulis*; ex *praxi* nostrarum Ecclesiarum; ex *sacrâ* deniq; *scripturâ* 1. Cor.6.11. Gal.5.21. Ephes 5.5. Rom.8.13. allatâ simul distinctione inter *peccata* non *regnantia* h.e. venialia; & *regnantia*, h.e. mortalia, adeoque Spiritum sanctum & fidem salvificam excutientia.

11. III. *Antithesis* denique *illorum* commemoratur sub calcem hujus loci, qui contendebant: *Bona opera esse ad salutem perniciosa:* quæ quidem Propositio secundum quid intellecta admittitur ex Phil.3.v.8. simpliciter verò accepta repudiatur.

III. Explicatio Sententiae vel Theseos orthodoxæ.

Considerando erunt in explicatione hujus

jus membri ſequentia diſtinctim. 1. *Definitio nominalis*, vel varia terminorum, ſeu appellationis *bonorum operum* acceptio, & propria ſignificatio. 2. *Definitio realis*. 3. *Cauſſæ* bonorum operum. 4. *Affectiones* in genere. 5. *Diviſio*.

De Primo.

§.1. Ordimur meritò ab *appellatione*, quæ ideò utilis eſt, quia ex ea, bonorum operum aliquando quæritur depravatio purioris doctrinæ hujus loci, ita monente B. *Chemnicio* in l.c. part.3. f.10. Expendemus autem appellationis, *primò homonymiam*; *poſtmodùm Synonymiam*.

2. Quoad *Homonymiam*; Bona opera *triplici* ſenſu capiuntur 1. *Politico*; ſic opus bonum illud dicitur, quod conſentit cum lege municipali cujusq; civitatis. 2. *Philoſophico*, ubi opus bonum æſtimatur, quod conſentit cum reliquiis primævę lucis. Ubi notandum *Philoſophos*, præſertim *Græcos* propriè opera vocare ἔργα, quæ poſt præſtitam ac navatam operam ſubſiſtant, adeoq; in ſenſus externos incurrāt.

3. *Theologico*; idq; *vel* ex mente *Pontificiorum*, qui pro operibus bonis venditant *exteriora illa*, & *indebita*, aliàs *ſupererogationis* dicta: qualia quidem Spiritus S. ignorat nec novit. *vel* juxta *ſtilum Scripturæ*; idq; *vel generaliſſimè*, & ſic fides ſalvifica dicitur *opus* Ioh:6.28. *vel propriè*; ubi viciſſim opera *duplicia* occurrunt

2. opera *legis*, aliàs *servilia* dicta, quę exiguntur, imperantur, & extorquentur per legem. 2. Opera *Evangelii*, alias opera *Gratiæ*, quæ à Gratiâ Spiritus S. proficiſcuntur, *Rom*: 6. 14. Dicuntur etiam *spontanea*, ceu à populo Chriſti ſpontaneo proficiſcentia *Pſal*: 110. *v*. 3.

3. *Porrò*, bona opera in poſteriori ſignificatione in ſacris ſumuntur *vel ſpeciatim*, pro certâ bonorum operum *parte* v.g. pro beneficentiâ *Act*. 9. 36. 2. *Theſ*. 2. 17. 1. *Tim*. 2. 10. c. 5. 10. *Heb*. 10. 24. *vel generatim* pro *totâ* hujus articuli doctrinâ *Eph*. 2. *v*. 10. *Tit*. 2. *v*. 14. c. 3. *v*. 1. 8. 14. ubi bonorum operum ambitu includuntur *cogitata, dicta, & facta juxta* Legem DEI. Atque hoc ſenſu à nobis impræſentiarùm conſiderantur bona opera.

4. Quoad *Synonymiam* vel *Polyonymiam*; Bona opera variis in ſacris indigetantur æquipollentibus nominibus: qualia ſunt *partim* ἄγραφα in ſcripturis *non extantia* v.g. *novæ qualitates*; *motus ſpirituales*; *habitus infuſi*: Hiſce adduntur à *Pontificiis* 1. *Iuſtitia inhærens*, in quâ formalitatem juſtificationis coram Deo collocant, 2. *merita*: quo quidem termino *Patres* bona opera indigitare non dubitarunt; ideò, quod ſint mandata â Deo, factaq; â renatis in fide, habentia promiſſiones ſive in hac; ſive in futurâ vitâ: quia v. illum terminum Pontificii in abuſum traxerunt; eoq; Eccleſiæ veræ inſidiati ſunt; ampliùs ab orthodoxis hoc ſenſu

non

non usurpatur: *partim* ἔγγραφα; quæ in universum Dn. *Chemnicius* ad quinque reducit classes: 1. ad Causam *Efficientem*; & sic bona opera vocantur *sanctificatio*; *donum per gratiam*; *nova creatura* in Christo. *Rom.* 5. *v.* 15. 2. *Cor.* 4. *v.* 17. *Gal.* 6. *v.* 15. 1. *Theß.* 4. *v.* 3.

2. Ad causam *formalem*, ut *Novitas* *Rom.* 6. *v.* 4. *c.* 7. *v.* 6. *Eph.* 4. *v.* 33. *Col.* 3. *v.* 10. novus *homo*, *Ephes.* 2. *v.* 15. *c.* 4. *v.* 24. *Cor novum* & mundum, *Psal.* 51. *v.* 12. *nova* obedientia; justicia *bonæ* conscientię *Roman.* 9. *vers.* 1. 1. *Tim.* 1. *v.* 5. *Heb.* 11. *v.* 39. promtus animus 2. *Cor.* 9. *v.* 2. & propositum, *v.* 7. 2. *Tim.* 3. *v.* 10.

3. Ad *objecta*; sic vocantur *opera legis* Roman: 3. v. 2?. Gal. 2. v. 16.

4. Ad caussam *finalem*, sic bona opera dicuntur *hostia viva*, *bona*, *sancta*, *accepta* DEO; *cultus rationalis*, vel *spiritualis* *Rom.* 12. *v.* 1. *Phil.* 4. *v.* 18. 1. *Pet.* 2. 5. servitus bonæ conscientiæ *Act*: 23. *v.* 1. & Spiritus nostri *Rom*: 1. *v.* 9. Huc pertinent illa Epitheta *Phil.* 4. *v.* 8. ubi bona opera vocantur *vera*, *honesta*, *justa*, *pura*, *accommoda*, *bonæ famæ*, *laudabilia*, *&c.*

5. Ad *Effectus* sanctificationis & renovationis: & sic κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur *bona opera*: *pietas*, *cultus* DEI, *fructus Spiritus*; *fructus pœnitentiæ*; *mortificatio carnis*; *dilectio* DEI, *&* *proximi*; *ambulatio* in viis, & mandatis DEI, *arma* justiciæ, *motus* Spiritus DEI; *abstinentia* à peccatis; *bona* & *sancta conversatio*; *obedientia*; *virtus*, *&c.*

DE

De Secundo.

1. Sunt autem *bona opera actiones internæ & externæ, ex regenerato hominis intellectu, voluntate & appetitu ad præscriptum legis moralis proficiscentes, ad gloriam* DEI, *sui dignitatem, ac utilitatem, & proximi ædificationem*.

2. Definitio hæc est *causalis*; in quâ *Generis* loco ponuntur *actiones*, tùm *internæ* seu immanentes: tum *externæ*, eæq; partim *immanentes*; partim *transeuntes*, quippe ad DE*um*, maximè v. ad *proximum* directę; quę ipsa est determinatio illarum actionum: Amplior verò determinatio proponitur in definitione: mentione factâ causarum *Efficientis*, *Materialis*, *Formalis & Finalis*. De quibus singulis sequenti membro restat agendum.

De Tertio.

1. *Efficiens* bonorum operum est vel *Primaria*, vel *Secundaria*.

2. *Primaria* est ipse Spiritus S. Is namq; uti in homine fidem, per quam regeneratur: ita fidei fructus, novamq; obedientiam producit.

3. Notentur Axiomata. 1. *Spiritus S. ad bonorum operum productionem necessariò requiritur*: Ratio, quia sine Spiritu S. nullum bonum opus inchoari ac perfici potest 2. *Cor*. 3. *v*. 6. *Phil*. 1. *v*. 6. *c*. 2. *v*. 13. 2. *Pet*. 1. *v*. 3. Hinc universa bonorum operum ratio in totum DEO ipsi adscribitur ceu primario agenti *Esa*. 26. *v*. 12. 1. *Cor*. 15. *v*. 10. *c*. 4. *v* 7.

2. *Spi-*

2. *Spiritus S. tamen non est caussa solitaria bonorum operum.*

Ratio, quia Hominis arbitrium in articulo sanctificationis, factum jam est liberatum; ideoq; Spiritui S. cooperatur; uti statim dicetur.

3. *Spiritus S. est causa bonorum operum mediata.* (A quibusdam hinc vocatur *remota*.) Prius namq; hominem regenerat, justificat, ac vivificat; Ubi etiam non incommodè proximum ac immediatum principium vocari poterit, non quidem ob exclusum ordinem salutis, sed ob exclusam cooperationem virium humanarum. Heîc verò statuitur Spiritus S. principium *mediatum*; Siquidem in productione bonorum operum admittit humanę voluntatis συνέργειαν sive cooperationem.

4. *Spiritus S. neminem trahit arcanâ voluntate ad bona opera, sed per expressum* DEI *verbum.* Hinc est quod bonorum operum tres causę numerentur 1. *Spiritus* S. 2. *Verbum* DEI. & 3. *Voluntas hominis regeniti.*

4. *Secundaria* est homo regenitus, quâ potentias & facultates suas; siquidem potentiæ & facultates illæ non à seipsis, sed à Spiritu S. excitatæ, sunt habiles ad bona opera. *Zach*: 12. *v.* 10. *Joh.* 15. *v.* 6.

5. *Axiomata* 1. *Homo regenitus est causa propinqua & immediata bonorum operum.* Ratio, quia ab hominis renati voluntate, in quantum ea

renatæ

renata eſt, immediatè promanant bona opera.

2. *Bona opera à cauſâ proximâ & immediatâ rectè vocantur humana.* Ratio. Quia denominatio fieri debet non à remotiori; ſed à proximâ cauſâ; Idcircò, licet bona opera virtute, ac inſtinctu Spiritus S. fiant; rectè tamen humana quin vocentur, nil vetat.

6. *Materialis* cauſſa bonorum operum eſt *tum* ipſum *ſubjectum*, h. e. homo regenitus, tùm *objectum*, circa quod actiones hominis talis occupari debent: quale quidem graphicè deſcribitur â Spiritu S. *Phil.* 4. *v.* 8. nimirum quod debeat eſſe *verum, honeſtum, juſtum, purum, utile, bonæ famæ*; & *ipſa denique virtus & laus.*

7. *Forma* bonorum operum eſt *gemina.* 1. *Legalis* 2. *Euangelica.*

8. *Legalis* conſiſtit in bonorum operum cum lege morali omnimodâ convenientia, & conformitate. *Axiomata:*

1. *Forma legalis eſt ratione bonorum operum eſſentialis vel abſoluta.* Ratio. Uti enim malum opus, vel peccatum eſt ἀνομία: ita bonum opus erit ἐννομία; in tantum, ut inter ſe mutuò reciprocentur: *Quodcunque opus bonum eſt; idipſum* ἔννομον *ſit oportet*: & contrà: *Quodcunq; opus in lege divinâ præceptum non eſt: nec etiam bonum eſſe vel dici poterit*: Item. *Abſurdum eſt: aliqua dicere bona opera, quæ ad legem divinam referri non poßint: Nullum opus verè bonum dici poteſt*

test, quod à DEO mandatum non sit in lege. Item: *Traditio, & bona intentio hominum, nequit esse Norma & Forma bonorum operum.*

2. *Conformitas bonorum operum cum Lege DEI judicari debet* quoad *substantiam, modum, & circumstantias ipsorum.*

3. *Opera hominum renatorum propter Formam legalem non possunt propriè dici bona.* Ratio. Quia opera ad normam legis examinata, & collata, sunt multis modis imperfecta: ideoque nec DEO placere possunt: sed potius maledictioni subjacent, *Deut:27.v.26. Ier.11.v.3. Gal.3.v.10.*

9. Forma *Euangelica* bonorum operum consistit in sanctificatione fidei. *Axiomata:*

1. *Forma Euangelica est bonorum operum ratione accidentalis, vel relativa.* Alii hinc vocant Fidem, formam *assistentem* bonorum operum. Nam Spiritus sanctus efficit ac producit in nobis bona opera, tunc, quando per fidem Christo inserimur: Proinde quando dicitur, ex fide oriri bona opera; id sic intelligendum erit: *Primum* nos per fidem Christo in Euangelio oblato inseri; *Deinde* Christi Spiritum nobis dari: *Posteà* Spiritum S. in renatis non esse otiosum; sed operari virtutes: ex quibus denique bona opera exsurgant & edantur *Ephes.1.v.4.*

2. *Forma Euangelica, opera hominum renatorum reddit bona principalitèr, DEOque placentia.*

Ratio.

Ratio. Quia, uti persona; ita opera personæ fide justificantur in conspectu Dei; sicq; Deo placent, *Heb.* 11. *v.* 6. Neque enim cogitandum, quod Fides solummodò ab initio justificet; sed etiam tunc, quando justi benè agunt.

10. *Finalis* bonorum operum est *triplex* 1. *Gloria* DEI *Matth.* 5. *v.* 16. 1. *Cor.* 10. *v.* 31. 1. *Pet.* 4. *v.* 11. 2. *utilitas* nostri & quidem *quadruplex* 1. *testificatio* de fide non simulatâ *Matth.* 7. *v.* 16. 2. *participatio* promissionum pietati promulgatarum in hâc & futurâ vitâ 1. *Timoth.* 4. *v.* 8. 3. *Evitatio* pœnarum temporalium & æternarum *Roman.* 8. *v.* 13. 4. *Evitatio* contristationis Spititus S. quo sumus obsignati *Eph.* 4. *v.* 30. *Psal.* 51. *v.* 13. 3. *ædificatio* proximi. *Phil.* 2. *v.* 15. 1. *Pet.* 2. *v.* 12. *c.* 3. *v.* 1. 16. Omnes hasce complexus est Spiritns S. in unum manipulum. *Tit.* 2. *v.* 8. ubi præcipit, quò vivamus *piè* erga Deum; *castè* erga nos ipsos; *justè* erga proximum. Fusius finalem causam pertractantem vid. Dn. *Menz.* *in Exeg. art.* 6. *p.* 264. 265. 266.

De Quarto:

ubi

Axiomata de bonis operibus Generalia.

1. *Omne bonum opus est merum* DEI *donum, magisq;* DEI, *quam nostrum statuendum.* Nil enim habe-

habemus, quod non acceperimus 1. Cor. 4. v. 7. Deus operatur in nobis & velle & perficere, Phil: 1 v. 6. c. 2. v. 13. Neque enim Deus tantùm bona opera mandat; sed etiam ipse ad benè agendum nos Spiritu suo ducit, Psal: 25. v. 9. Inde tamen bona opera non negantur esse *humana*; quia eorum voluntarium instrumentum est homo, non ceu truncus, aut subjectum ἀεργον; sed jam regenitum, & vivificatum, utque Spiritu Dei actum, agat & ipsum.

2. *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum*: ex *Aug. l. de fid. & operib. c. 14.* Ratio. Quia bona opera sunt effectus auxilii Dei specialis: hoc autem non nisi in renatis locum habet, ac cum Deo reconciliatis: reconciliatio autem non nisi ex Euangelio innotescit. Ubi *porrò* ex Euangelio vera fiducia misericordiæ divinæ concipitur, mentesq; perterrefactæ fide eriguntur, tunc simul datur Spiritus S. qui dilectione Dei nos imbuit, & lege DEI in cordibus hominum scriptâ, in nobis novos motus legi divinę conformes, ac congruentes excitat. Hinc patet: opera verè bona, obedientiam cultumq; interiorem, non â virium humanarum facultate; sed ab operatione Spiritus S. unicè proficisci: nequaquam igitur justificandum præcedere.

3. *Bona opera non ex nominibus: sed ex adverbiis sunt judicanda.* Hoc est: *Bonum opus debet benè fieri* Quod ut eò dexteriùs intelligatur,

duo bonitatis κριτήρια erunt notanda, ex quibus opus quodvis *adverbialiter*, h. e. *verè bonum*, pronunciari debet. 1. est *origo*, quæ est *fides* vera in Christum: Nam quod ex fide non est, non bonum; sed peccatum est *Rom. 14. v. ult.* nec mala arbor ferax esse potest bonorum fructuum. *Matth. 7. v. 18.* 2. *Finis* cuius gratiâ fieri debent bona opera: siquidem virtutes â vitiis magis *fine*, quàm *officiis* discriminantur: potest aliqua actio bona esse *officio*: mala vero *fine* non rectè destinato: Finis verò bonus operum bonorum supra erat indicatus: *Breviter*, *Finis* ejusmodi 1. *divinæ gloriæ*, 2. *ædificationi* Proximi, & 3. *nostrummet saluti* non debet esse contrarius: alioquin opus rationem bonitatis amittet.

4. *Bona opera sunt necessaria*: Non 1. necessitate *coactionis*: debent namque esse spontanea, à populo DEI spontaneo, *Psal. 110. v. 3.* 2. neque necessitate *consequentis* vel caussæ; sed *consequentiæ*, h. e. 1. *mandati*, 2. *ordinis*, & 3. *debiti*. Quidam necessitatem *triplicem* bonorum operum interpretantur 1. *cultus* erga DEUM: 2. *conscientiæ* erga nosmetipsos: & 3. *officii* erga proximum. Probatio sufficiens Aphorismi videatur *memb. 2. ex libello* depromta circa primam Antithesin. *Ulterius* in gratiam Antithesis secundæ, addo: 3. Non sunt bona opera necessaria 1. ad *salutem* impetrandam, vel consequendam; quia non sunt aliæ causæ salutis,

alia

liæ justificationis. 2. ad *fidem* conservandam, quia idem principium, medium, & finis salutis nostræ: utraque assertio probatur in libello nostro d.l. contra Interimistas & Majoristas; sed utramque testificandam, vel declarandam, Rom:10.v.10.

5. *Bona nostra opera hac in vitâ sunt imperfecta, licet à sanctißimis præstita.* Possunt quidem dici *perfecta* 1. ratione *fidei* & *personæ* justificatæ: 2. ratione *sinceritatis* & affectus, quo pii conantur omnia DEI præcepta implere. 3. *Comparatè*, ratione hypocriticorum operum. 4. Ob DEI *beneplacentiam*. 5. Ob *vocationem* ad Regnum Gratiæ: Veruntamen ratione sui, sunt multis modis imperfecta, 1. ob συνέργειαν voluntatis humanæ regenitæ: unde dicuntur opera humana. 2. ob renovationis *inchoationem*. 3. ob *impedimentum* mali adjacentis, Rom. 7.v.21. 4. ob aspersionis Christi sanguine *necessitatem*, quâ summoperè indigent. 5. ob *tegumentum* Christi, quo *imperfectiones* operum in conspectu DEI, pallio justitiæ suæ obvelat. 6. ob *intuitum divinum* meriti Christi; ob quem etiam demùm redduntur in foro DEI grata, & accepta.

6. *Bona opera non sunt merita vitæ æternæ.* Ratio. 1. Quia *debita*. 2. *imperfecta*, uti jam dictum. 3. quia non sunt nostra, sed *aliena*; seu, quia ipsius DEI. 4. quia DEO non sunt *utilia*, *Luc.17.v.10.* 5. quia *nulla proportio* inter ope-

ra nostra, ceu finita; & vitam æternam. 6. quia vita æterna *gratis* donatur Rom.6.v.ult. non ergo meritis operum acquiritur. Hinc *Scriptura S. nullibi vocat vitam æternam mercedem*: utut promittat nobis Christus copiosam mercedem in cœlis *Matth.10.v.ult.* quam conferendo DEUS sua dona in nobis coronabit, *Esa.26.v.12.*

7. *Opera verè bona ad intra, & ad extra sunt judicanda.* Non enim duntaxat *externa* inque oculos incurrentia, vel speciem forinsecùs pietatis habentia, adeoque hypocritica, sub censum verè bonorum operum vocari debent: verùm imprimis *interna*. v.g. *pietas* erga DEUM, *timor, fides, spes, charitas, &c.* Ratio. Omnis enim cultus, bonumq; opus legitimum esse judicatur; cum hypocrisis abest, homoq; DEUM colere studet in spiritu, & veritate *Ioh.4. v.23* Hinc oritur λατρεία λογικὴ ac πνευματικὴ *Rom.12.v.1. 1.Pet.2.5.* ex *Psal.51.v.19.Esa.66.v.2*

De Quinto.

1. Restat adhuc Bonorum operum DIVISIO de quà paucissimis lineolis, prout instituti nostri ratio permittit.

2. Bona opera sunt *vel primæ, vel secundæ* tabulæ legis Moralis.

3. *Illa* vocantur opera *pietatis*, vel *cultus*; *hæc charitatis s. dilectionis*. *Illa* pro *objecto* agnoscunt ipsum DEUM, ceu Ens infinitum, summum

& ter Optimum-Maximum: Quo nomine excluditur omnis creatura tùm rationalis, tùm irrationalis; animata & inanimata: adeoque omnes sancti, sive vivi, sive defuncti; omnes Angeli & cælites; omnis res insuper in terris effigiata, sculpta & picta. Hæc verò pro *objecto* agnoscunt *homines*; tùm *reflexè*; quatenus bona opera ad nos ipsos diriguntur; tùm *directè* ad proximum.

4. Opera *pietatis* vel *cultus* in primâ tabulâ sub se comprehendunt

1. DEI *dilectionem*, vel Amorem, ceu affectum ex apprehensione DEI, tanquam Summi Boni & misericordissimi Creatoris, Redemtoris, & Sanctificatoris. Exigitur autem dilectio ex *totâ* animâ; *totâ* mente, *toto* corde, omnibus cogitationibus, ac omnibus viribus *Matth.22.v.37.* Id quod præstitu nobis, omninò omnibus vel sanctissimis impossibile: Nemo igitur de totali & exquisitâ DEI dilectione, mortalium, gloriari poterit; agnitâ *partiali*, uti DEI *cognitione*; 1.Cor.13.v.10. ita *dilectione*. Nam sicuti ex parte cognoscimus; ita ex parte diligimus Deum.

2. *Timorem* ceu affectum ex apprehensione DEI ceu summi Monarchæ ac *Domini*, & *Patris* simul: nec non Creatoris misericordissimi, qui bonis propter filium suum benefacere; malis autem, propter peccata malè facere cupiat.

3. *Honorem* ceu affectum ortum ex apprehensione DEI, ceu Entis perfectissimi, sapientissimi, & benignissimi. Quo pertinet DEI *celebratio*, & *Invocatio* cum fiducia conjuncta; tùm *petitionis*, tùm *gratiarum actionis*.

4. *Obedientiam* erga voluntatem, atque mandata divina, in omni vitæ nostræ curriculo sive prospero, sive adverso.

5. Opera *caritatis* secundæ tabulæ concernunt *vel nosmetipsos* suntque 1. *temperantia*. 2. *castitas*. 3. *sedulitas* in vocationis munere; & 4. *patientia* in cruce, ac omnibus rebus adversis, divinitùs immissis: respectu habito divinæ *voluntatis*, *justiciæ*, *constantiæ*, *fortitudinis*, *modestiæ*, &c.

Vel Proximum, eumque vel in *genere*; ubi intelliguntur omnes homines, ceu creaturæ ad imaginem DEI conditæ, ac per Christum redemtæ: vel in *Specie*, ubi innuuntur nostri 1. *Superiores*, quibus debetur *timor*, *honor*, & *obedientia*. 2. *æquales*, quibus debetur studium *candoris*, & *concordiæ*. 3. *inferiores*, quibus debetur *comitas*, *favor*, *benignitas*, *defensio*, & *promotio*.

6. Hæc etiam *συντόμως* ac breviusculè de bonis operibus: Specialis singulorum διέξοδος vel explicatio peti poterit ex Regulis vitæ *Chytræi*, & tractatibus *Catecheticis* aliorum.

IV. Ex-

IV. EXPLICATIO Antitheseos.

1. Veteres hæreses recenset Dn. Chemnic. *part.3.l.c.f.13.14.* secundum diversa *tempora*. 1. *ante Christum* sub V. T. contra normam & formam bonorum operum delinquebant, quotquot *bonam intentionem* prætendebant: toties verò totiesque à Prophetis reprehensam. 2. Tempore Christi, *Pharisæi*, traditiones legi DEI assuebant, easque pro normâ bonorum operum venditabant: sicque Christi reprehensionem turpitèr incurrebant *Matth.15. v.6. ex Esa.29.v.13. Matth.23. v.23.25.* 3. Tempore *Apostolorum*, *Pseudo Apostoli*, opera legis in articulum Justificationis ingerebant, ac miscebant: quibus dicam scripserunt γνήσιοι Apostoli Act:15.v.1. & sigillatim in Epistolâ ad *Romanos, Galatas, Ephesos, Timotheum & Titum.*

2. *Post Christi & Apostolorum tempora* exorti sunt 1. in defectu *Nomomachi*; vel *Antinomi*, fingentes; *credentibus non esse opus observatione legis divinæ.* Tales erant: *Simon Magus, Carpocrates, Basilides, &c.* quos refutarunt *Irenæ lib.1.c. 23.24.32. Augustin. de hæres.* ad quod vult: *Theodoret. l.1. de hæres. fabul. &c.* 2. in *excessu* peccantes *Pelagiani*, contendendo 1. *bona opera ex solis liberi arbitrii viribus ab homine non regenito præstari posse.* 2. *Bona opera esse meritoria vitæ*

æternæ. Confutavit autem hanc hæresin nervosissimè B. *Augustin.* Lib. *de Spiritu & Lit.* c. 3. 4. 14. 19. 23. Lib. *de Grat. Novi Test.* lib. de Nat. & *Grat,* & lib. 3. *contra duas* Epist. *Pelagianorum* &c. lib. 6. *cont.* Julian. lib. trib. *de peccatorum meritis & remißione.*

V. De Haeresibus Renovatis & novis Schismatibus.

I. Inter hæreses *Renovatas* primas tenet 1. *Pontificiorum*: cum *Pelagianorum* hæresi per omnia conspirans: contendendo 1. *Bona opera esse necessaria ad salutem; non tantum ratione coexistentiæ, sed etiam efficientiæ.* 2. *Bona opera esse meritoria vitæ æternæ, de condigno.* 3. *Legis omnia Mandata esse impletu poßibilia.* 4. *Bona opera justificare hominem justificatione secundâ.* Vide Bellarm: *l.* 4. *de justif.* c. 2. 7. 11. *Lib.* 5. c. 1. 16. 17. 18. Becan. *in Manual.* lib. 1. c. 18. de *Meritis operum Quæst.* 2. *pag.* 459. & *s.* 5. *Bona opera conservare* DEI *gratiam in animo* Concil. Trid. *Seß.* 6. *Can.* 23. 6. *Bonorum operum formam esse Traditiones.* 7. *Bona opera ex bonâ intentione esse judicanda.*

II. *Antinomorum*: Bonorum operum necessitatem exagitantium tempore B. *Lutheri,* referente Dn. *Chemnic. part.* 3. *l. c. f.* 14.

III. *Anabaptistarum*: 1. *Libertinorum* opera bona ea omnia, esse statuentium cum Simone

Ma-

Mago; sive illa *extra*; sive *contra* Dei verbum à renatis fierent.

2. *Illorum* qui opinantur hodieque, bona opera esse necessaria ad salutem *Tom.* 2. *Luth. Witeb.* ubi refutatio reperitur adornata à *Menio & Urbano Rhegio*.

IV. *Majoristarum*; quæ in libello nostro recensetur in *Antithesi secundâ*. Docuit autem *Georgius Major*, tùm *Islebiæ*, tùm *in Academiâ Witeberg* circa *Ann.* 1552. ac sequentes propositiones acerrimè propugnabat: 1. *Bona opera esse necessaria ad salutem*. 2. *Impoßibile esse sine bonis operibus salvari*. 3. *Neminem unquam sine bonis operibus salvatum esse*. Quem quidem errorem Major hausit ex *interreligionis* libro *Interim* cognomine; quippe in quo disertè scriptum legerat: *Opera bona ad actum Iustificationis, nec non salutem nostri coram* DEO *esse necessaria*. Eum verò confutarunt *Theologi Saxonici Lib. confut.* c. 8. *edit. Ienens. Ann.* 1559. *Lunæburgens.* A 1561. *Mansfeldens.* A. 1565. *Gerani* artic. 2. *Symbol.* A. 1567. *Collocutores Altenburgens.* In Specie verò D. *Epinus, Flacius, Wigandus, Rosinus, Kirchnerus*; *Nicol. Gallus*, &c.

V. *Eorum*, qui propositionem de *neceßitate* bonorū operum impugnabant; uti videre est ex *Antithesi primâ* in libello nostro: Auctor hujus rei perhibetur fuisse *Andreas Muſculus*, cui *Dn. Chemnic.* integrum tractatum opposuit *part.* 3. *l. c. f.* 29. sub titulo: *De controversia*; *utrum pera,*

& in Ecclesiâ retinenda sit propositio usitata : Quod bona opera renatorum sint necessaria ? Sed in hoc errore Dn. *Musculus* non diu perseveravit ; ac proinde inter orthodoxos, postea temporis âd adornandum *Formulæ Concordiæ* opus ascitus fuit.

VI. *Eorum*, qui bona opera ad salutem *perniciosa*, pronunciare non dubitabant : uti videre est ex *Antithesi tertiâ* libelli nostri. Quæ sententia tribuitur *Nicolao Amsdorffio*: in quam, nimio *Majoristis* contradicendi zelo prolapsus fuerat. Refutatur autem in *Form. Concord. art.* 4. *Antithes. membr.* 2. & explicatur uberiùs sub finem.

VII. *Calvinianorum*, docentium 1. *Bona opera esse necessaria ad conservandam fidem. Alsted.* Theol. Didact. p. 736. cum *Piscatore*. 2. *esse necessaria ad salutem.* 3. *Sanctificationem esse necessarium salutis medium* : Keckerm. Syst. Theol. p. 470. cum *Piscatore* super Eph. 1. v. 4. Rom. 6. Beza *lib. Quæst. & Respons.* &c. Plures errores vide apud Dn. Menzer. Exeg. A. C. art. 6. *memb.* 5.

VIII. *Photinianorum*, contendentium. 1. *Bona opera esse Partem fidei essentialem*. 2. *Bona opera esse meritoria salutis æternæ.* Catech Racov. p. 235. 246. 247. Vide confutat. *apud* Dn. Menzer. *in* Exeg. A. C. *art.* 4. *memb.* 7. *pag.* 210. *artic.* 6. *memb.* 6. *p.* 274.

Coro-

Coronidis loco, subjicimus Dn. *Chemnicii* sententiam de propositione illâ: *quod bona opera sunt necessaria ad salutem.* Loc. Comm. part. 3. Quæst. VII. f. 75. seq.

DOctrina de bonis operibus diligentèr quidem in Ecclesiâ DEI tradenda est, sed ita, ut puritas articuli Justificationis salva & integra retineatur. In illo enim articulo, sicut Lutherus inquit in 3. cap. ad Galat. comprehenduntur omnes alii fidei nostræ articuli, eoque salvo, salvi sunt & reliqui: amisso verò illo, amissa est simul tota doctrina Christiana. Et in 2. cap. ad Galat. *Sæpe dico, nullum esse remedium resistendi Sectis, præter istum unum articulum justitiæ Christianæ. Hoc amisso, impossibile est nos posse resistere aliis erroribus aut Sectis.* Et in 2. cap. ad Galat. inquit: *Concedimus, docendum quoque esse de bonis operibus & charitate, sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de operibus extra hunc capitalem articulum Iustificationis. Hic autem status caussæ est; Quare justificemur & vitam æternam consequamur? Hic respondemus cum Paulo; Sola fide in Christum nos pronunciari justos, non operibus legis aut charitate. Non quod opera aut charitatem rejiciamus, ut adversarij nos accusant, sed ex statu caussæ volumus divelli, id quod Sathan quærit. Itaque cum jam versemur in loco communi de Iustifi-*

catione

catione, reiicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur, ſeu admittit diſputationem de bonis operibus. Tranſcendimus ergo in hoc propoſito ſimpliciter omnes leges & omnia opera legis. Hæc Lutherus.

In hac diſputatione, de neceſſitate novæ obedientiæ, ſive bonorum operum, omninò neceſſaria eſt declaratio. An ad ſalutem doceantur neceſſaria, ne cum detrimento articuli Juſtificationis urgeatur doctrina de bonis operibus; Maximè, quia in noſtris Eccleſiis controverſia de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem moveri cœpit, alieniſſimo perſecutionis tempore, cum Pontificii σφυγγώδει formula interreligionis, & vi & dolo puritati doctrinæ noſtrarum Eccleſiarum inſidiarentur.

Nec verò libidine diſſentiendi, aut ſtudio contradicendi, propter otioſas argutias, vel inanes λογομαχίας de his propoſitionibus diſputatur, ſed hoc agitur, ut articulo Juſtificationis ſua conſtet & relinquatur puritas: utque bona opera renatorum, intra illos limites & terminos, qui ipſis in Scriptura circundati ſunt, maneant, ne articulo Juſtificationis miſceantur.

Fundamenta autem, ex quibus propoſitiones illę judicantur, non ſervare formam vel ſanæ doctinæ, vel ſanorum verborum, planiſſima ſunt, ſi conſideretur verum diſcri-

men

men Legis & Euangelii. Euangelium enim concionatur de justitia, salute & vita æterna. Et de Lege Moses expressè dicit, *Deut*. 30. *v*. 19. Proposui vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, *Rom*. 7. *v*. 10. Mandatum quod ad vitam. Et hæc non de hujus tantùm vitæ commoditatibus intelligenda sunt: Nam *Luc*. 10. *v*. 28. Scribæ interroganti: Quid faciendo, vitam æternam possidebo? Christus respondet: Hoc fac, quod in lege scriptum est, & vives.

Quod igitur est discrimen inter doctrinam Legis & Euangelii? Respondeo: Variæ sunt, & numerantur differentiæ; sed nos jam de proposita tantum quæstione disputamus, in qua hæc differentia est inter Legem & Euangelium immediatè contraria. Lex proponit quidem justitiam, salutem & vitam æternam, sed sub hac conditione: Qui fecerit hæc, vivet in eis, *Rom*. 10. *v*. 5. Si vis vitam ingredi, serva mandata, *Matth*. 19. *v*. 17. Hoc fac, & vives, *Luc*. 10. *v*. 28 Factores legis justificabuntur coram DEO, *Rom*. 2. *v*. 13. Est igitur ipsissima doctrina legis, bona opera ad salutem ita esse necessaria, ut sine illis impossibile sit quenquam salvari.

Quia verò legi hoc impossibile est, eo quod infirmatur per carnem, *Rom*. 8. *v*. 3. & ita fit ministerium peccati, mortis & condemnationis. Euangelium igitur proponit nobis justitiam, salutem & vitam æternam, sine nostris operibus, gratis, propter obedientiam Filii

DEI

DEI Mediatoris, sola fide accipiendam, Roman. 4. v. 5. Gal. 3, v. 22. Et hoc discrimen Legis & Euangelii Paulus ita immediatè contrarium constituit, ut Roman. 11. ubi expressè de salute loquitur (dicit enim, reliquiæ secundum electionem gratiæ DEI, salvæ factæ sunt) expressè affirmet, quod duo hæc, Gratia & Opera, in articulo seu officio Justificationis & salutis se non compatiantur (ut vulgi vocabulo utar) sed quod uno posito, alterum excludatur. Inquit enim vers. 6. Si ex gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia. Si verò ex operibus, non amplius est gratia: alioquin opus non esset opus. Manifesta igitur est confusio & depravatio discriminis inter legem & Euangelium, expressè pugnans cum doctrina Pauli, docere quod ad salutem bona opera sint necessaria. Hoc fundamentum certum firmum & manifestum est.

Sed excipiunt Patroni harum propositionum: Se non loqui de solis bonis operibus, nec de hominibus justificandis; sed de illis, qui fide jam justificati sunt. Propositiones igitur juxta hanc interpretationem ita stabunt; Qui sola fide, gratis, propter Filium DEI Mediatorem justificati sunt, illis ad salutem bona opera ita sunt necessaria, ut impossibile sit quenquam, licet fide justificatus sit, sine operibus salvari. Et si juxta hanc interpretationem instituatur ἀνάλυσις harum pro-

positio-

poſitionum, dijudicatio adhuc planior erit.
Juſtitia enim fidei hac interpretatione à ſalute & vita æterna ita diſcernitur, ut juſtificemur quidem ſine operibus, ſola fide, gratis, propter Chriſtum. Salvemur autem fide quidem propter Chriſtum; ſed tamen non ſine operibus noſtris. Non ergo una & eadem res erit, qua juſtificamur & qua ſalvamur. Et particulæ exclusivæ (ſine operibus, non ex operibus, &c.) juxta hanc interpretationem, pertinebunt quidem ad juſtificationem, non autem ad quæſtionem de ſalute & vita æterna. De juſtificatis enim propoſitiones dicunt: quod impoſſibile ſit, quenquam ſine bonis operibus ſalvari, cum concedant, nos ſine operibus Fide juſtificari.

Quando hoc modo ſtatus diſputationis conſtituitur, ſicut alius eſſe non poteſt, tunc dijudicatio plana eſt. *Vicelius* enim, & alii quidam, qui inter Pontificios modeſtiùs ſentire videri volunt, planè ita docent; Peccatorem & impium, qui omnibus bonis operibus deſtituitur, juſtificari quidem ſine operibus, ſolâ fide, gratis propter Chriſtum. Sed aliam eſſe quæſtionem de ſalute & vita æterna, Juſtificatos enim ſalvari non ſine operibus, ſola fide; ſed juſtificatis, ad ſalutem, præter fidem, neceſſaria eſſe etiam bona opera.

Examinentur hæc ad analogiam Fidei, & res plana erit. Si enim conſtituatur, nos ſi-

ne

ne operibus juſtificari quidem; non autem ſine operibus ſalvari, alterutrum ſequi neceſſe erit: vel quod Chriſtus ſua obedientia juſtitiam quidem coram Deo, non autem ſalutem nobis promeruerit, vel quod promiſſio juſtitiæ accipiatur quidem ſine operibus Fidei; promiſſio autem ſalutis & vitæ æternæ, non accipiatur ſine operibus, ſed fide & operibus ſimul, ut particulæ excluſivæ, non ad ſalutem, ſed tantum ad juſtificationem pertinere dicendæ ſint. Sed utrunque hoc falſum eſt ex *Gal.* 3. *v.* 11. *Epheſ.* 2. *v.* 8. 2. *Tim.* 1. *v* 9. *Tit.* 3 *v.* 5. *Rom.* 4. *v.* 6. *c.* 11. *v.* 6.

Gloria in excelſis Deo.